

dū amorē, & reuerentiā erga omnia eccle-
siae sacramenta, praesertim eucharistiae, &
poenitentiae, quae hoc tempore (proh dolor)
multi minuere conantur, mire augetis. Dū
denique modestiae, demissionis animi, om-
nigenaeque pietatis, operibus, & exemplis ve-
strum nomen breui tempore Europae, Aphri-
cae, Asiaeque; ultra Gāgem adeo probaueritis,
gratū, illustreque feceritis, ut passim cuiusque
ordinis illustrissimos adolescentes diuino
quodam spiritu, & impulsu vestra signa se-
quentes videamus. Quis vos pius non ob-
seruet, non veneretur, colat, & diligat? Quis
non vobis, nil nisi Christi obsequium re-
quirentibus non obsequi percupiat? Quis
non vestrae phratriae fieri phrator ardeat?
Qui sollicitudine incredibile curatis, ut
omnes ex vno phreate, siue puteo gratiae do-
mini nostri I E S V Christi, cuius de solo
sodalitio gloriamini, cōbibamus. Ex tepi-
do igitur, & segni factus iam pridem vestri
feruens, & studiosus cultor offero vobis hoc
munusculum, mei erga vos amoris, obser-
uantiae, pietatisque pignus immortale: simul
oro vos omnes, praecipue verò te, perquam
colende Symon Roderice, ut non tam mu-